DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

(18

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS KIRK,

Anglus,

CHIRURGUS.

Sit mihi fas sentita loqui.——VIRG.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.


EDINBURGI:

EXCUDEBANT JACOBUS PILLANS ET FILIUS.

M.DCCC.XXVI.

PATRI DILECTO

IACOBO KIRK



HOC OPUSCULUM

AMORIS, PIETATIS, GRATIQUE ANIMI

PIGNORI,

FILIUS

PATRI DILECTO

JACOBO KIRK,

HOC OPUSCULUM,

AMORIS, PIETATIS, GRATIQUE ANIMI

PIGNORI,

CONSECRAT

FILIUS.

CAROLO ANDERSON, M. D.

REGII COLLEGII CHIRURGORUM EDINENSIS,

NECNON

SOCIETATIS VERNERIANAE SOCIO;

LETHAE MEDICINAM FELICITER EXERCENTI,

VIRTUTIBUS

QUAE HOMINEM, CIVEM, MARITUM, ATQUE PARENTEM,

EXORNANT

PERINSIGNI:

QUO DUCE ET AUSPICE,

ARTIS APOLLINARIS PRINCIPIA DIDICIT,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

OB MULTA BENEFICIA ACCEPTA,

ANIMO GRATISSIMO

SACRAS VULT

ALUMNUS.

VIRO SPECTATISSIMO,

GULIELMO TAYLOR MONEY, ARMIGERO,

SENATORI,

NECNON E RECTORIBUS

SOCIETATIS HONORABILIS

AD MERCATURAM IN INDIA ORIENTALI FACIENDAM

INSTITUTAE,

VIRTUTIBUS MULTIS INSIGNI,

BENEFICII IN EUM COLLATI

HAUD IMMEMOR,

HANC DISPUTATIONEM,

SUMMA OBSERVANTIA,

D. D. C.QUE

AUCTOR.

DISSERTATIO

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

AUCTORE GEORGIO KIRK.

Quaedam dicere de Febribus Intermittentibus pro argumento disputationis sequentis statui, quum per navigationes duas ad Sinam, inter serviendum Societati Honorabili mercaturas in India Orientali facientium, opportunitates haud mediocres eas observandi et curandi mihi contigerunt. De his, igitur, febribus, nonnullas observationes quas lenitati Academiae Professorum eruditorum subjicerem, exarare volui.

Febris Intermittens, ut mihi videtur, sic definiri potest. "Febris miasmate orta, ex inter-

DISSERTATIO

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

AUCTORE GEORGIO KIRK.

Quaedam dicere de Febribus Intermittentibus pro argumento disputationis sequentis statui, quùm per navigationes duas ad Sinam, inter serviendum Societati Honorabili mercaturas in India Orientali facientium, opportunitates haud mediocres eas observandi et curandi mihi contigerunt. De his, igitur, febribus, nonnullas observationes quas lenitati Academiae Professorum eruditorum subjicerem, exarare volui.

Febris Intermittens, ut mihi videtur, sic definiri potest. "Febris miasmate orta, ex inter-

" missionibus et paroxysmis composita; pa-
" roxysmo quovis die unico tantum."

Hoc malum nomina accepit diversa secundum reditus sui periodos: si post viginti quatuor horas, Quotidiana; post quadraginta octo horas, Tertiana; post septuaginta duas horas, Quartana vocatur. Febrium sub nominibus Tertianae et Quartanae notarum varietates, plurimae sunt: nempe Tertianae triplices, Quartanae triplices, multaeque aliae, quae in Nosologiae Systemate CULLENI numerantur, quas autem hîc, chartae propter angustias, transferri non licet.

Nomina quaedam, utpote saepe utenda, definiri oportet. PAROXYSMUS est accessio febrilis, quae constat ex horrore, ardore, et sudore. INTERMISSIO est spatium temporis a fine unius paroxysmi, ad initium proximi. INTERVALLUM est spatium temporis ab initio unius paroxysmi, ad initium proximi; id est, et paroxysmum et intermissionem comprehendit.

Febres intermittentes ex paroxysmis distinctis et intermissionibus constant. Paroxysmi, ut supra diximus, in tria stadia, nempe, horroris, caloris, et sudoris, nunc describenda, dividuntur.

Stadium Horroris.—Horrore adveniente, magna sitis instat. Aeger experitur sensum languoris lassitudinisque, cum viribus prostratis; his indiciis oscitatio et pandiculatio accedunt. Facies pallida fit; summa cutis rugosa, quasi algore astricta. Ungues lividi fiunt; et aeger in apicibus digitorum, sensu admodum ingrato, vix describendo, ex tumore quasi, torpore, frigoreque composito, afficitur. Haec signa frigus gradatim ingravescens, et per totam cutem cito extendens, cum crepitu dentium, sequitur. Rigoribus et tremoribus nunc supervenientibus, membra et totum corpus valde agitantur. Mens pigra est, et, his malis increscentibus, animi alienatio, plus minusve, saepe adest. Hoc tempore, dolores capitis et lumborum, cum dolore circa praecordia, urgent. Articulos quoque majores dolores infestant. Pulsus parvus,

frequens, et abnormis fit. Respiratio est crebra et anxia. Secretiones supprimuntur ; urina pallida et parca ; alvus astricta ; os aridum ; lingua alba et sordida ; cutis sicca. Cibi fastidium atque nausea urgent ; porro materia plerumque biliosa in magna quantitate evomitur.

Stadium Caloris.—Vomitus horrori (qui restat per tempus incertum) plerumque finem imponit. Rigores et ardores vicissim accedunt. Ardores tandem ingravescunt, et calor vix tolerandus per corpus cito diffunditur. Cutis arida et turgida fit. Facies rubet. Sensus in priore tempore obtusior, per totum corpus nunc acutior fit ; arteriae temporales celerrime micant ; nec lux nec sonus tolerari potest. Dolor capitis multum ingravescit. Mens vagatur et turbatur. Delirium saepe supervenit. Sitis urget. Pulsus plenus, validus, et durus fit. Respiratio liberior, sed adhuc frequens et suspiriis interrupta. Urina insigniter rubet, adhuc parca et nihil demissura.

Stadium Sudoris.—Post incertum tempus haec signa minuuntur. Secretiones restituuntur. Sitis evanescit. Sudor circa frontem et pectus primò erumpit, qui paulo postea per totum corpus diffunditur. Quod in urina subsidit, copiosum et lateritii coloris est. Functiones naturales restituuntur, febrilibusque omnibus signis evanescentibus, aeger ad sanitatem denuo restitui videtur, adhuc vero debilitate, lassitudine, et ejusmodi indiciis tentatur.

Febres Intermittentes horum pleraque signorum ostendunt. At in quibusdam exemplis accessiones earum signis multo gravioribus stipantur; qualia sunt apoplexia, ponderis sensus insignis circa praecordia suffocationem minitans, paroxysmi epileptici, syncope unà cum frigore quod increscit donec febricitans in torporem citâ morte exceptum labitur. Hae sunt res maximi periculi, attentionemque medici assiduam jure optimo sibi vindicant.

Paroxysmi febris intermittentis duratio multum variat; raro octodecim vel viginti qua-

tuor horas perseverat ; in quatuor, sex, octo, vel decem horis, cursum plerumque conficere solet. Si serius solito paroxysmus revertitur, febris decedens indicatur ; si citius, transitus in remittentem vel continuam.

Hae febres tempore verno et autumnali saepissime adoriuntur. Febres vernales facillimè medentur ; autumnales autem plerumque pertinaces sunt, diuque medicinae obstant, et saepe desinunt in obstructiones viscerum, praecipue lienis, quae hydropem vel icterum, et demum mortem inducunt.

Corpus his febribus semel affectum ad recidivas valde proclive fit, quamvis causa primaria procul abest, et etiam aegro in coelo magis salutifero vitam degente ; id quod ego ipse, hac febre correptus, saepe expertus sum. In regionibus fervidis, quam in coelis temperatis, homines, multo frequentius et multo vehementius afficiuntur. Aliis morbis saepe consociantur : in exemplis non paucis, cum dysenteria,

vel hepate vitioso, has febres conjunctas, mihi contigit curare.

DE CAUSIS ABDITIS.

Causae quibus homines ad Intermittentes, uti ad alias febres, proclives redduntur, hae esse videntur, quae vires vitales debilitant; videlicet, fatigatio nimia praesertim sub sole ardente; corpus calefactum et exhaustum frigori temerè objectum; evacuationes solitae profusae; rores nocturni; pervigilium in locis frigidis et uliginosis; victus pravus; inedia; ebrietas; venus immodica. Denique, metus, moeror, aliique animi affectus deprimentes inter causas abditas annumerari debent.

Corpus febre intermittente semel affectum, ut jam modò dicebamus, ad recidivas valde proclive fit. Quaelibet causa supra dicta ad impetus renovandos sufficiet; tunc autem causa abdita in causam excitantem convertitur: res quae nos docet, quam difficilis et incerta sit

distinctio inter causas abditas atque excitantes. Euri vis quoque in revocando morbo est valde mira, et adeo evidens, ut plebi sit notissima: Aquilo etiam, terror subitus, balneum frigidum, febrem intermittentem dicuntur renovare, et agunt *horrorem* inducendo.

Vis quoque lunae, saltem in regionibus tropicis, ni multum fallor, ad renovandam febrem plurimum operae confert; id quod mihi omnino persuasum est, quocunque demum modo explicanda sit. In posteriore itinere per mare ad Sinam tot opportunitates hanc rem observandi mihi contigerunt, ut de re ipsa certior factus sim. In reditu nostro ad Angliam recidivae perfrequenter occurrebant, et hae semper uno vel duobus diêbus ante novilunium vel ante plenissimum lunae orbem, obveniebant. Hoc tam constans erat ut periodos has semper metui, et tandem praedicere potui quando in febrem reciderem; nam egomet saepius quam aliquis aegrorum quibus interfui, recursus febris passus sum. Et ut in navigatione nostra versus Angliam quinque menses occupati fue-

runt, et ut eo tempore, pene omnes qui antea febre impliciti fuissent, quidam bis, ter, etiam quaterve, in recidivas inciderunt, multa exempla hujus rei mihi obvenerunt.

Hisce viribus lunae a nonnullis objectum est, febris recursus tempore novilunii et plenilunii occurrentes, aestibus maris iis temporibus exundantibus, et superficiem majorem rivi riparum inundantibus, potius attribui posse: mari refluente, superficies major rivi riparum actioni solis ardentis exponitur, et plus vaporis exinde exhalari necesse est: hinc plures febricitare possunt.

Quicunque vero hanc rem aequo animo dijudicare velit, et hanc vim lunae ad febres reducendas in oceano, ubi nulla sunt miasmata, tam frequenter et regulariter observatam esse, recordetur, ei erit, ut est mihi, lunam, vim reducendi febres habere, judicare.

CAUSAE EXCITANTES.

Certe mirum est auras a stagnis ortas, quae

apud hodiernos cognitae sunt originem praebere multis febribus admodum lethalibus, a medicis veteribus praetermissas fuisse, neque usque ad tempora recentiora inter causas febrium habitas esse. Procul dubio haec aura insalubris Febrem Intermittentem non solum producat, sed aliis causis conjuncta ingens fons est plurimis morbis endemicis regionum fervidarum : aliquando dysenteriae, nunc denuo febribus cujuslibet indolis, vis et gradûs.

Sunt tamen qui miasmata existere negant, quoniam contendunt, frigus et humiditatem satis effectus explicare posse. Sed hi qui opinionem vis miasmatis rejiciunt, dispositionem omnia ad leges generales redigere inclinatam, exhibent. Quippè in locis insalubribus sed non paludosis, intermittentes interdum, sed rarius obveniunt : et cùm in locis ubi miasmata pollent, aquâ a paludibus derivatâ, intermittentes, antea numerosae, pauciores fiunt : et cum in memoriam vocamus, viciniam aquis profundis, etsi aeque frigidam, non esse insalubrem, hanc

opinionem et nostram, et communem, haud veri absimilem esse, decernimus.

Natura propria, et via per quam ista venena morbida agunt, quae auris a stagnis et aliis locis surgentibus inesse existimantur, (nam de harum naturâ conjecturâ unicè nitimur), aciem humanam ludit. Haec venena aliorum instar, absorberi putantur: sed nulla irritatio localis evidens, hanc opinionem inanem arguit. Variae opiniones de superficiebus quae haec venena absorbent, oblatae fuerunt; nempe, in os recepta cum saliva vel cibo devorata, in ventriculi nervos, quidam, ea agere, opinantur; alii, ea membranae mucosae narium, faucium et bronchiorum admoveri; aliis denique persuasum est, haec venena absorberi per vasa innumera, minutissima, in tota corporis superficie, et in omnibus ejus cavis, ostiis patulis instructa. Hic intuitus perbrevis opinionum aliorum sufficere mihi videtur: ultra, in re adeo obscura, memet impedire, parum certe conveniret. Satis constat haec venena in corpus aliquo modo admitti, genusque nervosum

afficere, febremque inducere; quomodo autem, sive per unam sive per omnes vias supra dictas, pro comperto non habeo.

Quaedam vero operationi eorum subvenientes, utpote melius intellectae, attentionem sibi vindicant. Aer et rores nocturni, praesertim in regionibus calidis, miasmatum vim plurimum augere videntur; quae videlicet, miasmata in die exhalata continent, et cum rore nocturno descendunt, et mista cum exhalationibus adhuc nascentibus, vim miasmatis ipsius ita augent, ut valetudo facillime afficiatur, febrisque inducatur. Bene notum est nautas variis negotiis in littus interdiu occupatos, a morbo endemico immunes remansisse, dum ii qui per noctem ibi manserint, in eum incidêrunt, omnesque perierunt: ut exempla perinsignia a variis auctoribus memorata, ostendunt *.

Accumulatio et concentratio aurarum a stag-

---

* *Vide* TROTTER, Medicina Nautica, Vol. I. p. 456.—JOHNSON, Influence of Tropical Climates, p. 134.

nis, febres admodum graves et pestiferas reddunt: nihil enim in medicina clarius compertum est, quàm, virulentiam ullius contagii, gradui concentrationis respondere. Haec concentratio a defectu ventilationis post tempestatem pluviosam, in locis ubi arbores confertae sunt, accidere videtur, ideoque hi qui his locis objiciuntur, intermittentibus gravibus saepe corripiuntur.

Denique, mens depressa multum operae confert ad eum statum producendum, qui est maxime proclivis a causis supra dictis ad febrem: affectus contra animi excitantes, corpore utcunque defatigato, malo resistere haud parum valent.

Utcunque, Febris Intermittens obvenit in locis ubi febricitantes ulli aurae a stagnis ortae, objecti fuisse non poterant. Doctor Fordyce exemplum oriens ab aura e corpore humano, et celeberrimus Joannes Hunter exempla duorum infantum Febri Intermittenti affectorum, ex verminatione, et quae, vermibus, causa exci-

tante, remotis, cessavit, narrat. Et diversis medicis scriptoribus, exempla Febris Intermittentis hìc illìc numerantur, nascentis ex causis diversis praeter auras a stagnis. Et GEORGIUS BAKER, Baronettus, in historia sua epidemici intermittentis 1780, dicit, incolas locorum sublimium in Lindi comitatu in Anglia morbo interemptos fuisse, iis propinquarum paludum morbo immunibus *. Mihi non dubium est quin hoc tribuendum sit corpori perpetuò causae excitanti objecto, et inde vim resistendi miasmati acquirenti. Et exemplum huic persimile nobis obviam it in medicis qui perpetuò ad vim cujusque morbi peculiarem expositi, raro tamen afficiuntur.

In Minorca etiam, ubi coelum est siccum et salubre, Febres Remittentes et Intermittentes saepe existunt; Sardiniâ, cujus insalubritas et epidemicae febres satis innotuerunt, earundem experte.

---

* *Vide* GOOD. Study of Medicine, Vol. II. p. 105.

CAUSA PROXIMA.

ANTIQUI quoddam noxium in corpus introduci contendunt: et hanc materiam morbidam a febrili motu, praecipue in paroxysmo calido, expelli preparatam fuisse. Haec opinio consequentias maxime infaustas produxit, siquidem ad omnes modos augendi calorem, administratione sudorificorum maxime stimulantium, unà cum temperie aucta in omni gradu exacerbationis febrilis, adduxit, ut huic processui incognito quem materia morbida subitura erat, auxilium daret. Et ad diversas opiniones temporum diversorum, auctores, eam materiam esse acidam, alkalinam, terream, inflammabilem, existimabant.

Hae opiniones pedes retulerunt ante BOERHAVIUM, qui, febrem non ex materia morbida in corpus introducta, sed ex lentore seu visciditate sanguinis ipsius oriri, cogitavit.

Deinde, a Culleno, symptomata febris ad genus nervosum, et ejus proprium principium, de quo nihil cognoscimus, attributa fuerunt. Stadium horroris ut origo signorum sequentium, et hoc ad debilitatem referri, putavit. Contendit, debilitatem existere, signis praeeuntibus languoris lassitudinisque ; et hanc ex quibusdam viribus sedatricibus, quae sunt febrium causae remotae nasci, cogitat. Hae, vim cerebri totiusque corporis, speciatim vasorum omnium extremorum, diminuunt, signaque stadii horroris, spasmumque horum vasorum movent. Hic spasmus, cor arteriasque, ad desiderium Vis Medicatricis Naturae, in exercitationem vocat : ita, in exemplis exitu fausto finitis, cerebrum restituit, causamque morbi vincit. Et Cullenus, ut ejus victoria vis medicatricis, nominat sudoris effusionem, et vasorum excernentium relaxationem *.

Denique, quidam hodierni corporis humani anatomicè scrutatores, febrem esse eandem

* Pract. of Physic, Book I. Chap. ii. Sect. 46.

cum inflammatione opinantur. Haec inflammatio alias apud alios auctores sedes habet; alii cerebro, alii membranae mucosae internas superficies vestienti; alii cuti externae, alii nervis, alii vasis sanguinem vehentibus attribuunt; alii ventriculo, alii hepati.

Talis est descriptio quarundem diversarum rationum, quae de causa proxima Febris, propositae sunt. Quando verbis "causa proxima" utor, mihi est in animo, morbi natura, omnium malorum origo vera. Tali de re adeo obscura, ut adhuc ingeniossimos et acerrimos corporis humani scrutatores fefellerit, opiniones offerre nolo.

DE CADAVERE PATEFACTO.

Ex Cadaveribus permultis Febre Intermittente absumptorum a Cleghorn aliisque inspectis, ventriculum et intestina cum eorum appendicibus magis minusve vitiosa esse, apparet. Patet quoque ex pluribus dissectioni-

bus, inflammationem chronicam lienis quae in amplificationem et indurationem saepe desinit, fere semper in Febre Intermittente adesse; e contra, in Febre Remittente, lienem acuta inflammatione in suppurationem vel ulcerationem desinente, affici. Hoc satis comprobarunt BANCROFT, JACKSON, et plures alii. Quinetiam omnibus fere, Febre Valacriensi absumptis, lien ex ulceratione afficiebatur. Quae quum remittens est, hi auctores judicant, Febrem Remittentem Intermittenti hoc potissimum discrepare; quod illi lien et interdum alia viscera inflammatione acuta, huic, chronica, torquentur*.

PROGNOSIS.

QUANDO paroxysmi non diuturni sunt, et in recursu regulares, febrem cito cessare, a nobis dijudicandum sit; sed quando diutius febricitantem afficiunt, et comitantur signis perturba-

* BANCROFT, Essay on Yellow Fever.

tionem functionum indicantibus, uti vertigine, delirio, stupore, et dein artuum convulsione, alvo variâ et abnormi, dejectionibusque fætidis et abdomine dolente tactui, morbus protrahitur et consociatur cum aliis viscerum obstructionibus, praecipue lienis hepatisque; aeger ad hydropem, icterum, dysenteriamque proclivis fit; et rebus ita se habentibus, ad sanitatem recursus non est certus.

CURATIO.

Quod pertinet ad sanitatem perducendam in iis Febre Intermittente laborantibus, curationem quae mihi fuit utilissima et efficacissima, in multis exemplis, et dum navis in qua fui Cantonii morabatur, et in reditu nostro ad Angliam, breviter ut possim exponam. Non abs re fore credimus, quaedam de topographia Whampoae ubi naves ab anchoris retentae sunt, prius observare, et res ad socias navales pertinentes notare, quae statum antecedentem febricitantium patefacere possint. Hic tamen, aliquid

me debere confiteor Andreae Thomson, Armigero, viro spectatissimo et chirurgo peritissimo, cujus sub auspiciis medicinam hoc morbo laborantibus feci.

Medio in fluvio Taa apud Whampoam, sunt numerosae insulae, quae agris coryzâ florentibus abundant, fere humidae ab diversis rivulis, qui eas lamubnt, et frequenter inundant. Et est evidens, insulis modo aquâ obductis, modo sole urente exsiccatis, auras materia insalubri praeditas esse orituras. Mutationes quoque repentinae aeris temperiei pro alio morbi fonte recensendae sunt. Ventus "NE Monsoon" dictus, certis temporibus ex montibus quibus terra circumjacens obsessa est, acerrime perflat; qui aliquando mutationem tam subitam aeris temperiei efficit, ut instrumentum Fahrenheitianum, teporem viginti vel etiam triginta gradibus repente imminutum, indicet. Quum nauta incautus raro ulla vestimenta Europaea ad hanc inopinatam necessitatem accommodata apud se habeat, non est mirum, ut, rebus ita se habentibus, multos febribus dysenteriaque affici. Ne

que quod ad vestimenta solum, nauta est incautus, sed omni vitio intemperantiaeque sese addicit ; ideoque fit proclivior ad morbos violentos.

Quando navis in qua fui ad Whampoam appulit, aer perfervidus erat, et mensem unum vel amplius ita se habuit. Tempus erat morbosum, et inter nautas aliarum navium, quas ibi reperimus, febres et dysenteriae multum urgebant, nec pauci mortui sunt.

Febris in nostra navi citò sese monstrabat, primò sub forma remittenti, et initio victus et diæta tenus, purgantia et interdum detractio sanguinis, versus autem finem cinchonae pulvis, adhibita sunt. Brevi, aere frigidiore, intermissio perfectior evadebat, et tandem febres formam intermittentem induebant.

Haec præfatus, ad propositum supra dictum veniamus ; et in cursu de remediis aliorum medicorum dicendum erit.

1*mo*, De remediis, accessione jam praesente, usurpandis ; et,

2*do*, De curatione per intermissionem, loquar.

Multis in exemplis, in stadio horroris, emeticum adhibuimus, quo hoc tempus contrahi, signaque alia paroxysmi levari, videbantur. Non dubium est quin cruditates, aliaeque res alienae in primis viis, paroxysmum febris multum augeant. Quidam nostrorum aegrorum in hoc stadio lumbricos teretes vomuerunt, et per alvum dejecerunt. Vermibus expulsis, febris facilius cessit ; hoc observatum fuit et Sina, et in febribus recidivis, mari occurrentibus.

In stadio calido opium ad celebrem Lind *, eam relaxationem cutis quae stadium sudoris accelerat facilitatque, inducere potest. Sed in variis exemplis in quibus opium hoc tempore ministravi, effectus non tam fausti fuerunt usum frequentem evocare.

---

* Lind. Diseases of Hot Climates, p. 354.

Et Doctor CURRIE notavit, *opium* non esse utile, sed potius nocere, cute arida et astricta, sed cum sudor cutem humectat, tunc opium cum beneficio dari *. Doctor LIND opium removere hanc ariditatem cutis putat, sed ad nostram observationem, et ad opinionem supra dictam Doctoris CURRIE, LIND in ejus sententia errare videtur.

Per totum paroxysmum aliquis potus diluens, exempli gratiâ, aqua oryzâ vel theâ imbuta, ab aegro ad libitum bibendum est. Nonnullis placet per stadium horroris vasa vel utres aqua fervente plenos, ad pedes, dorsum, regionemque epigastricam applicari; qui, stadio calido accedente, a corpore removenda sunt. Sudore tandem profluente, lenis perflatus, stragulis indusiisque sudore madidis gradatim subductis, adhibendus est.

Paroxysmo finito, ne febris recurrat, conandum est.

---

* Medical Reports, Vol. 1. p. 290.

Permagni interest alvum penitus exonerare, exinde enim incitatio generalis removetur; purgantia quoque distributionem sanguinis magis aequalem, vasa exhalantia, ductusque excernentes glandularum mucosarum intestinorum stimulando, producunt. Vasa exhalantia ita excitata, humoris serosi, ductusque excernentes, muci, fluxum auctum effundunt. Sane autem, haec remedia quae hepar, aliaque viscera abdominis stimulant, propriasque secretiones augent, purgantium saepe optima sunt et aliis anteponenda.

Quo haec beneficia obtineamus submurias hydrargyri, pulvere jalapae vel extracto colocynthidis composito conjunctum, et postridie quemvis salium mediorum adhibuimus. Aegri nostri coeli temperie fervida, aliisque causis debiles redditi, evacuatione alia raro egebant. Lingua sordida, faecibus ingratis, his remediis uti non cessavimus. His signis remotis, tensioneque nulla abdominis existente, haec medicamenta omissa fuerunt; tunc ad cinchonam

praestantissimum remedium, confugere licebat, et exitus felix esse solebat.

Sydenhamus primò medicos edocuit quomodo cinchona administrari debet. Ante ejus aevum cinchona bis per horas viginti quatuor, et per febris accessionem, adhibebatur; hanc ob causam non mirandum est, cinchonam plerumque noxiam fuisse. Sydenhamus tempus cinchonam administrandi mutando, diligenterque cinchonam puram seligendo, Febrem Intermittentem prospere curavit.

Nonnulli nihilominus (procul dubio malè) cinchonam adhiberi, nulla attentione febris remissionibus vel exacerbationibus habita, praescribunt.

Senac hunc modum cinchonam administrandi sic acerrime reprehendit; "Insanum prorsus esset, corticem Peruvianum in frigore febrili exhibere; quid scilicet expectari potest ab ejusmodi remedio, dum constricta, rigida,

"sunt omnia ; dum ventriculus, ipsam aquam "calidam vix ferre potest *."

Quod ad cinchonae portionem pertinet ; haec variari debet secundum aetatem et habitum aegri, febrisque typum et violentiam. Ad nostros aegros drachmam unam, in aqua acido sulphurico aromatico imbuta, omni hora, existente intermissione, adhibuimus ; saepe tamen duae, et in quibusdam exemplis drachmae tres secunda quaque hora ; ita ut unciae duae vel tres intra duodecim horas assumptae, paroxysmorum recursus prohibere raro deficiebant. Post febris decessum in remedii usu per aliquot hebdomadas persistere oportet ; sed in copia minori, ter quaterve in die.

Aliquando cinchonae dosin satis magnam rationi medici respondere, ventriculus accipere non potest. In hoc autem statu forma est alia, sub quâ, hoc remedium multo cum beneficio adhiberi possit : nempe, Sulphatis Quininae,

---

* Senac, De Recondita Febr. Intermit. Natura, p. 212.

qui in portionibus granorum duorum, vel in aqua solutis, vel in pilulas formatis, secunda quaque hora, ministrari potest.

Interdum necessarium, uno tempore, purgante, alio, astringente, cinchonae viribus obviam ire. Cinchonae, ne alvum purget, paululum opii, ne astringat, paululum rhei, conjungi debet. Doctor Hillary de epidemicâ intermittente ad Barbadoes loquitur, in qua cinchona, nisi cum salinis aut tonicis remediis missa fuit, inutilis.

Enimvero signa sunt nonnulla, quae, si adsint, unà cum statu intestinorum morbido jam supra exposito, ante cinchonam ministratam, amovere oportet. Inter haec, vim cordis et arteriarum citra modum auctam, dolorem capitis, respirationem difficilem, et irritationem organorum concoctioni inservientium, cum epigastrii dolore, notemus. Si congestiones internae existent, quales cerebri vel hepatis, cinchona certè nocebit. Mihi non est dubium quin cinchona has congestiones non solum au-

gere, sed etiam inducere possit; quod hinc existimo. In memet post portiones largas cinchonae, puta uncias duas in horis octo, tumores haemorrhoidales semper producti sunt (malum aliis temporibus mihi ignotum), et qui, mihi videtur, statum congestionis systematis Venae Portae denotant.

Denique, multa exempla in quibus nulla cinchona exhibita fuit, evenerunt; in generali tamen, cinchonam esse prosperam, et excepta ad exitum faustum ab habitibus peculiaribus, aut ex alia altera causa, oriri, dici possint.

Per totum morbi decursum alvi, omniumque secretionum conditio, praecipue verò hepatis, curam medici assiduam postulat.

Si dysenteria Febrem Intermittentem comitatur, auxiliis jam relatis, rite accedunt detractio sanguinis, diaphoretica aliaque remedia quibus huic malo occurritur. Si aegri vitiis lienis vel hepatis afficiuntur, hydrargyrus ad ptyalismum levem excitandum, omissa cincho-

na, exhiberi debet. Vice cinchonae, arsenicum sit bonum ministrare.

Cum ex Sina ventis vela dedimus, cortex cinchonae in totum consumptus fuit, ex numerosis exemplis quae evenerant. Febres recidivae brevi ortae sunt. Rebus ita se habentibus, solutionem Fowleri arsenicalem, tincturae opii guttis paucis conjunctam, solito more, secundum aegri aetatem, portione pedetentim aucta, beneficio maximo praecepimus. Observari meretur, arsenicum, instar cinchonae, pro eventu fausto, apyrexiam perfectam requirere.

Ejus usui praecipue objicienda est dyspepsia quam, ni fallor, oriri facit. Inter principia certe effectum tonicum habet, et ut vidi, appetitum sine norma auget: deinde, usu ejus forsitan praetermisso, appetitus deficit, et aeger dyspepsia gravi vexari incipit.

Sunt denique multa alia medicamenta quae in his febribus medici praecipere soliti sunt. Cascarilla, cusparia, aliique cortices eodem con-

silio quo Peruvianus: quoque plantae amarae, et tonica regni mineralis; haec vero multo minus proficiunt.

In diaeta omnia quae praeter modum incitent, fugienda sunt. Victus debet esse ex mediâ materiâ, concoctu facilis, et e carnibus quae satis nutriant, nec simul ultra naturam incitent, aut impleant. Quod ad regimen attinet, exercitatio modica, citra sudorem aut fatigationem, juvabit. Aer purus, praesertim siccus et frigidulus, utilis erit. Frigus arcendum est vestitu laneo. Denique omnia quae mentem aut corpus ultra debitum exagitent, fugienda.

FINIS.

EXCUDEBANT JACOBUS PILLANS ET FILIUS.

ERRATA.

Page 19. Line 19. *pro* socias *lege* socios

—— 20. —— 8. *pro* lamubnt *lege* lambunt

—— 21. —— 13. *pro* tenus *lege* tenuis

Page 19. Line 23. pro *Omnem lege omnes*

—— 20. —— 4. pro *lamabant lege lambant*

—— 21. —— 15. pro *tractu lege tractu*